

1877

H M I L E T I C I.

1878

velut parvus *Jacobus*, dicta, quem admodum etiam *Hieronymianum*, *Bernbardinum* &c. habemus? Et sunt quae in collatione *Jacobi* esse deprehendi. Ad calcem legas: *Wer got traut, by bol* (wie wohl) *er paut. Anno Domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. LXX<sup>o</sup>. I<sup>o</sup>. Ach neczaste bydemy<sup>o</sup> zen<sup>o</sup> mny<sup>o</sup> muczyz.* Quasi dicas: *Ab infelices erimus, o Mulier multorum virorum.* An procorum, an maritorum?

DCCLXXXIII.

U. 710 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. et XV. Folior. 275. f. per duas columnas non una manu exaratus, et rubricis distinctus sequentia complectitur: I. *Incipit contractus de sanctis per circumum anni et primo de sancto Andrea.* Bis retuli hos Sermones *Vol. I. P. I. col. 1196. et P. 3. col. 2679.* Illic igitur remitto. Hic ad calcem habetur: *Explicit — per manus Stephani de Pribus (Silesiae) tunc temporis campanator in Eczkestorff. Finitus est Contractus ille Anno domini M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>C<sup>o</sup> Nonagesimo Septimo In die divisionis apostolorum etc. Hilf got. Maria berot.* Id est: Confule, adsisite!

II. fol. 88. *Compendium, ut e calce petendum, moralitatum conscriptum a Venerabili magistro Jacobo de lusanna.* Initium: *Abicit mundus pauperes et honorat divites. Nota. Augustinus dicit. Coruus est istius nature quod pullos suos quam diu non habent plumis abicit &c.* Postilla in plures Libros Biblicos composuisse hunc

*Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

D. *Dominici* Sodalem dixi jam alibi hoc *Vol. et Moralitates* ex iis excerptas retuli. En hic alium *Spicilegum*, qui non ordinem Librorum sequatur, sed Alphabetum. Ita habes *Abicere, Abire, Abstinencia, Abominabilis, Abscondere, Absoluens, Absorbere* &c. usque ad *Ypocritam*. Multus est et *Spicilegus* noster, et *Jacobus* ipse in cumulandis Similitudinibus ex *Historia naturali* petitis, quibus tamen haud magnus in sacris dictionibus fructus unquam respondit. De Autore saepius his *Commentariis* diximus.

III. fol. 151. *Sermones IX. de Communi SS. quorum I. de Apostolo: Nimis honorati sunt &c. Nullus rex sapiens dat dignitates uel honores inimico suo &c. Ultimus de B. Maria: Que est ista que ascendit &c. Sancti patres et prophete prenoscentes.* Autor non memoratur.

IV. fol. 159. praeviis omnium III. *Librorum Elenchis* sequuntur *Isidori Hispal. Sententiae*, alias *de summo Bono*, qui Titulus obtinuit a primis C. I. verbis: *Summum Bonum Deus est &c.* Sed in praesenti Exemplo ceterum integro solum hoc C. I. deest, ut adeo ordiatur a 2. *Non ideo celum et terram implet deus &c.* Saepius jam a nobis relatam est praeclarum hoc *Isidori* Scriptum, in cuius L. III. c. 3 ad finem fol. 185. p. 2. laborem interrumpit nugax Librarius exclamando: *Ich mus aufhören. Es ist nyn ur, da mich hungert.* famelicus, ut videtur, ad clepsydrum. Mox tamen labo-

1879

C O D I C E S

1880

laborem resumtum ad finem perduxit.

V. fol. 205. p. 2. Homiletica quaedam de *Purgatorio*, *Poenitentia*, *Honestate Mulierum ad Clericos*, et Festo Dedicationis Ecclesiae, levis momenti.

VI. fol. 214. *Sermones*, ut in calce. *fratris Ludwici Heremitanii ordinis*. Sec. XV. manu scripti, et quidem, ut ibi additur: *Michaelis de manlebern*, hodie *Mal-lebern* Pago Inferioris Austriae.

Duplex horum *Sermonum*, seu *Σχημάτων* potius, est Series. Utraque orditur ab Adventu, et prior quidem: *Hora est iam nos de sompno. in hijs verbis monet nos fidelis futuri videlicet Paulus &c.*

Altera fol. 238. *Benedictus qui venit in nomine domini. Matth. fratres karissimi. istud ewangelium hodie legitur et in ramis palmarum &c.* Utraque partim in *Evangelia*, partim in *Epistolas Dominicar.* et *Festorum Domini* commentatur. Excitat unicum hunc codicem nostrum *Offingerus* in *Biöl. Augustiniana* p. 521. ubi discimus *F. Johannem Ludovici Herbipolit.* post varia in Ordine gesta munia decessisse a. 1480. *Hierapolitanum* Episcopum et *Subfraganeum Ratisbonensem.*

VII. fol. 256. sequitur *Martyrologium* incipiens a *Circumcisione Domini*, et desinens in *Silvestro Pont.* et *Gerdrude Belgica*, quibus accedit *Notio Transfigurationis* etiam germanice expositae: *ein Wandlung der gestalt daz sich ein dinc verbandelt in ein schöner gestalt*, et *Quatuor Tempo-*

*rum.* Maxime prolixus est *Scriptor* in vita *S. Oswaldi Regis Scotiae*, & *S. Colomanni Mart.* de quo refert, *Custodem Thesauri Ecclesiae Medlicensis* cum pretiosa supellectili per fenestram se demittere volentem adhaesisse, capiteque in formam caninam mutato latratus edidisse; quibus excitatus *Conventus* furem deprehendit. In universum stupenda et fabulosa festatur.

VIII. fol. 275. p. 2. *Remedium* contra *Pestem germanice: Dysew erczney ward gesant dem chünickh von Frankbreich von den ürczten von paryz &c.* *Qualia* jam alias retuli.

DCCLXXXIV.

Codex membranaceus lat. Sec. U. 571 XIV. Folior. 452. 8. per duas columnas minutius sed nitide exaratus, coloribus distinctus, et olim, ut in calce notatum est, *Collegio Magistrorum Ducali* donatus ab *Johanne de Gmunden*, celebri *Astronomo* nostro a. 1442. defuncto, inscribitur: *Hic incipit opus fratris gilberti ordinis fratrum Minorum in sacra theologia magistri ad diuersos status mundi.* *Prooemii* initium est: *Executis inspirante donino sex partibus &c.* ut *Vol. I. P. 3. col. 2772.* ubi aliud *Exemplar* indicavi, et necessaria de *Gilberto Tornacensi* adtuli. Praefens a fol. 155. ad fol. 209. manu Sec. XV. subpletum est. Ad calcem minio subditur: *Expliciunt sermones de diuersis statutibus (sic) hominum. Laus tibi*